

§ III.

DE OFFICIO JUDICIS CIRCA CAUSAS PROBABLES,
VEL MULTUM INTRICATAS, ATQUE DEFECTUM AD-
VOCATORUM.

51. *Dantur quæstiones in jure, hinc inde æque probables.* — Quæritur I. Utrum judex possit judicare secundum opinionem minus probabilem, vel saltem juxta æque probabilem accepta pecunia, seu in favorem amici? Ubi prænotandum, quod in jure dentur nonnullæ quæstiones tum canonieæ, tum juridicæ, adeo inter doctores disputatae, et controversæ, ut revera utraque pars contradicitionis æquali, vel ferme æquali pondere rationum et probabilitate nitatur: quales proinde nova principis decisione indigent; et non paucæ illarum antiquitus vigentes, in Sexto *Decretalium* et *Clementinis*, provide per Romanos Pontifices decisæ fuerunt. Quædam vero earum sunt quidem adhuc non nihil inter doctores controversæ; ita tamen, ut una ipsarum graviori nitatur fundamento, majorique pondere rationum, siveque probabilior videatur præ altera, licet nondum sit omnino certa. Hoc prænotato,

52. *Judex non potest judicare secundum sententiam minus probabilem reicta probabiliore.* — Resp. I. Quando inter duas partes litigantium una earum revera habet pro se sententiam magis probabilem, neutquam potest judex ea cognita ut tali, atque reicta, judicare juxta opinionem minus probabilem. Ita communis, et receptissima doctorum sententia, quam etiam tenui in *Theologia moralis*, tract. I. dist. 3, quæst. 4, num. 56 et seqq. estque de facto certa et indubitate, ob novissimum decretum Innocentii XI, anno 1679, die 2 martii, sequentem inter alias propositionem, ordine 2, damnantis: « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. » Accedit ratio, quia judex adjudicans causam parti, minus probabilem pro se sententiam, minusque in jure fundatam habenti, exponeret se manifesto periculo inferendi grave damnum in bonis fortunæ alteri parti litigantium, ut pote probabiliorem, magisque in jure fundatam sententiam habenti: siquidem ad evitandum tale damnum proximo, seu huic parti litiganti impendens, nihil omnino juvat probabile ejus judicium, quod habet circa sententiam minus probabilem.

53. *Nec inter duas æque probabiles pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem*

unius. — Rep. II. Non obstante æquali probabilitate opinionum utriusque partis litigantium, nullatenus licitum est judici, pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. Ita de facto certa, et indubitate quidquid nonnulli olim contradixerint. Ratio est: quia opera justitiae venalia non sunt, ut can. *Qui recte*. 11, q. 3, ubi dicitur: « Qui recte judicat et præmium inde remuneratio nis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptance pecuniae vendit, » cum similibus. Concordat jus civile in l. 2, ff. *de Condictione ob turp. caus.* ubi dicitur crimen esse dare aliquid judici, ut secundum me in bona causa, pronuntiet; judicem enim corrumpere videtur. Accedit dicta superius n. 10 et 11, ubi sententiæ venales censentur ipso jure nullæ. Hinc Alexander VII, anno 1665, die 24 septembbris, hanc inter alias propositionem, ordine 26 merito damnavit: « Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. » Quis enim non videat, ab æquitate alienum esse, si duo æquale jus habere dognoscantur, judicem, quem oportet esse juris interpretem, justitiaeque administrum, uni eorum (accepta præserit pecunia) totum adjudicare, alteri abjudicare?

54. *Neque tunc judicare in favorem amici, totum jus eidem adjudicando.* — Et ob hanc eamdem rationem, quod non possit judex in favorem amici judicare, eidem totum adjudicando etiam stantiae quale probabilitate cause; merito docuit Layman, lib. I, tract. I, cap. v. n. 16, quidquid Engel, h. t. n. 8 et 9, cum nonnullis aliis, videatur dubitare, atque in oppositum inclinare. Nam « in judiciis non est acceptio personarum habenda, » ut habet reg. 12 juris in 6, cum concordantiis. Imo etiam divinum extat mandatum, *Deuteronom. cap. 1, 16, 17, Quod justum est, judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla est distantia personarum, ita parvum auditis ut magnum; nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei judicium est.* Qualia etiam alibi sæpius habentur.

55. *In arbitriis utile est habere judicem gratiosum.* — Per hoc tamen non negatur, quin in arbitriis, ubi nullum intervenit præjudicium tertii, utile sit habere judicem gratiosum: prout liquet ex c. *Consuluit*, 24. de Offic. delegat. et c. *Nulli*. 5. de *Accusationib.* Verum occasione præmissorum,

§ III. DE OFFICIO JUDICIS CIRCA CAUSAS PROBABLES, VEL MULTUM, ETC. 37

56. *Quid agendum judici, quando utraque litigantium pars videtur habere causam æque probabilem? Judex debet cuncta rimari.* — Quæritur II. Quid igitur agendum sit judici, quando utraque litigantium pars videtur habere causam æque probabilem? Resp. I. Cum judex sit veritatis inquisitor, oportet, ut is prius cuncta rimetur, neque se adstringat ad unam speciem probationis. Ita Fagnanus in c. *Ne innitaris*. nu. 108, de *Constitut.* atque desumitur ex c. *Cum Joannes*. 10. § *Ad hoc autem de Fide instrument.* ubi judex jubetur cuncta rimari. Et c. *In presentia*. 6. de *Renuntiat.* ubi judex non semper ad unam speciem probationis applicat mentem suam, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus et aliis, format animi sui motum. Concordat textus in can. *Si testes*. § *Sæpe fine*, 4, q. 3 et 1. 3, § *Ejusdem*, ff. *de Testibus*, et similibus. Accedit ratio, quia, etsi quandoque prima fronte ambæ litigantium partes videantur æque probabiles, re tamen penitus inspecta vix accidere potest, quin pro una earum meliores adsint probationes juris, vel facti; nam sicut in æquilibrio, ita et hic, modicus excessus superabit.

57. *Probationes juris, et probationes facti, quæ?* — Ubi incidentaliter notandum est, quod per « probationes juris, » intelligentur allegationes textuum juris, seu legum, una cum rationibus, auctorumque citationibus; probationes facti vero dicuntur productiones testimoniæ, ac instrumentorum, Engel, h. t. numer. 9.

58. *Judex ex opinionibus discrepantibus tenetur eam eligere, cui suus intellectus magis consentit.* — Resp. II. Judex, postquam cuncta rimari, ac sedulo discutere studuit, debet ex opinionibus discrepantibus eam eligere, cui magis ratio intellectus sui consentit. Ita Glos sa in c. *Cum olim*. 24. ¶. *Non quæ judici de Verb. signif. atque colligitur ex cit. c. In praesentia, de Renuntiat. et c. In nostra*. 32, de *Testib.* cum concordantiis. Accedit textus expressus in cit. 1. 3, ff. *de Testib.* ibi: « Ex sententia animi tui te aestimare oportet quid aut credas, aut parum probatum tibi opiniris. » Et merito; nam judex est publicus juris interpres, justitiaeque administer; unde in dubiis, seu causis controversis, post omnia rite perpensa tenetur animi sui motum, juxta leges et canones regularum sequi, et secundum quod ei visum fuerit justius et melius pronuntiare, can. *Judicet*. 7. q. 3, et Auth. *Hodie. C. de Judiciis.* Quo facto, si pars

alterutra litigantium sese gravatam existimaverit, liberum ei erit appellatio nis remedium.

59. *Nec causam ad superiore referre, sed eam ipsem decidere debet.* — Quinimo, licet antiquitus non infrequens fuerit usus relationum, quibus judices inferiores, v. g. epis copi, in causa de jure dabitantes, supremum principem, ut puta Papam, desuper consuuerunt, prout lique ex pluribus capitulis *Decretalium*, de facto tamen, utroque jure plenius instructo, hujusmodi relationes in foro tam ecclesiastico, quam civili, propemodum in desuetudinem abierunt. Accedit, quod in Auth. « Ut judices non expectent sacr. jus, » collat. 9 expresse mandetur, ut judices qui cumque causas, quantumcumque difficiles non amplius ad imperatorem referant, sed ipsimet examinent perfecto causam, et quod eis iustum legitimumque videtur, decernant. » Id que fieri poterit adhibito etiam consilio viri prudentioris; ita tamen, ut parti, quæ se gravatam putaverit, legitimum appellatio nis remedium maneat reservatum.

60. *Ubi probationes utrobique sunt æquales, favendum est reo, et possessori, demptis causis favorabilibus.* — Resp. III. Quod si vero utrobique probationes apparent æque probabiles, atque per omnia æquales (quod tamen rebus accurate discussis vix, aut nisi rarissime contingit) tune probationes probationibus enervantur; ac proinde in pari causa pro reo, vel pro possessore erit judicandum, juxta reg. 11 juris in 6, « Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori, » cum concordantias. Et reg. 65, eod. « In pari causa potior est conditio possidentis. » Dummodo hinc excipientur causæ favorabiles, puta matrimonii, libertatis, dotis, ac testamenti; quia in æqualitate probationum judicialur pro causa favorabili, cap. ii, de *Probationib.* et cap. ult. de *Sentent. re judicat.*

61. *Quid si uterque litigans personam rei vel possessoris sustineat?* — Si vero casus accidat, ut uterque litigans personam rei, vel possessoris sustineat (ut si duo vicini superterminis confinium, aut super jure venandi, piscandi, aut pascendi litigent, et uterque de possessione docuerit, arg. c. *Ex litteris*. 3, de *Probationib.*) præfertur is, cuius possessio est antiquior, vel titulo munita. Quod si vero est utrobique paritas, cuilibet possessio pro indi viso et communiter adjudicanda erit, servando formam interdicti, « Ut possidetis, ita possideatis. » Engel, h. t. n. 8.

62. *In casu multum intricato potest judex consulere partibus, ut se amicabiliter compo- nant, etc.* — Quæritur III. An in casu multum intricato possit judex partibus compositionem, seu transactionem imperare? Et dicitur notanter imperare, nam quod judex consulere possit partibus, ut sese amicabiliter compo- nant, sive compromittendo in arbitrios, sive transigendo, cum dubius sit litus eventus, fa- tentur omnes; idque ut primo loco in praxi fiat, est consultissimum, juxta textum notabili- um in can. *Studendum.* dist. 90 et cap. ult. juncta Glossa y. *Ad componendum.* de Transac- tionib. et cap. I de Mutuis petition. ubi Glossa fin. inquit, atque aliis juribus firmat, quod judex primo, si potest, debet partes re- ducre ad concordiam. Verum, an partibus, tale consilium sequi recusantibus, possit judex imperare compositionem, difficultas remanet: pro cuius resolutione,

63. *Regulariter tamen litigantes ad componen- dum compellere nequit.* — Resp. I. Etsi regu- lariter loquendo non possint partes litigantes compelli ad componendum, et nihilominus ex causa gravi possunt partes a ju- dicibus compelli ad componendum, vel transi- gendum, vel compromittendum. Ita Abbas in c. *Cum inter.* R. 16, n. 9, de Elect.; Felinus in cap. I, n. 1 et 3 et seqq. de Treuga et pace.; Layman lib. I, tract. I, cap. v, n. 16; Barbosa, lib. III de Offic. et potest. episc. alle- gat. 73, n. 9 et alii, quamvis nonnulli dis- sentiant quoad alteram partem, quorum ali- quos citat Engel, h. t. n. 9. Et quidem

64. *Regulariter tamen litigantes ad componen- dum compellere nequit.* — Prima pars habetur expresse in Auth. « Ut litigantes jurent, » §. fin. collat. 9, ubi statuitur, quod judex nul- lum possit cogere ad pacta, vel transactiones facientes cum adversariis, et si quis coactus hoc fecerit, nullum præjudicium sibi genere- tur. Atque hoc procedere regulariter, ac se- clusa gravi causa, recte notat Felinus, ubi supra. Accedit ratio hujus primæ partis; tum quia judicis officium est, reddere unicuique jus suum per legitimam sententiam; tum quia contractus non redduntur in invitum, I. *Invitum.* C. de Contract. emp. eam concordan- tiis ibidem a Glossa relatis, eo quod quilibet sit dominus sue rei: atqui inter contractus etiam connumeratur transactio; ergo.

65. *Secus ex gravi causa.* — Altera pars de- sumitur ex can. *Placuit.* dist. 90. ubi longin- qua inter se lite dissidentes, primitus de- bent a sacerdotibus moneri, ut ad pacem re-

deant, et si contempserint, excommunicari. Idem suadetur ex cit. cap. ult. de *Transact.* ubi proin summarum sic loquitur: « *Judex potest, et debet se interponere pro transac- tione inter partes facienda, praeterquam in casibus, in quibus iura hoc non admittunt, ut super matrimonio.* » Accedit, quod in simili permutationes beneficiorum sint iure prohibi- tæ, et tamen episcopus, si causam inspexe- rit necessariam, licite potest beneficiarios de uno loco transferre ad alium c. *Quæsitum,* 5. de *Rerum permutat.* Idem ergo dicendum in proposito, ob paritatem rationis, seu inspec- tæ necessitatis.

66. *Judicis est conari ut, quam citius fieri po- test, controversiae litigantium finiantur.* — Con- firmatur hoc ipsum, quia inter talia pertinet ad officium judicis conari, ut, quam citius fieri potest (servatis tamen debitibus solemnitatibus juris) controversiae litigantium finiantur, ne lites fiant propemodum immortales, ho- minumque memoriam excedant, I. *Properan- dum.* § I, C. de *Judicis.* Ergo etiam hoc ipso tandem judex compellere poterit partes, di- turna lite inter se dissidentes, ad componen- dum. Unde et

67. *Judicis est conari ut, quam citius fieri po- test, controversiae litigantium finiantur.* — Inter graves justasque causas compellendi partes ad componendum, transigendum, vel com- promittendum, cum primis connumerature ea, si partes diu jam litigarint, et post accurata- tam causæ discussionem neutra pars litigantium, inspectis allegatis, de jure, vel de facto superare videatur, sitque causa adeo intricata, quod de facili decidi non valeat, ut ait cit. can. *Placuit.* dist. 90, et notat Abbas in rubric. de *Treuga et pace.* n. 1; Felinus loc. cit. n. 5; Barbosa d. n. 9. Deinde quando imminet periculum armorum; quia tunc ad evadendum tale malum potest judex compellere partes ad transigendum, seu componen- dum, arg. I. *Æquissimum.* ff. de *Usufruct.* et notat Felinus cit. n. 3. § *Fallit quartu,* al- legans alios. Item, quando est dissensio in- ter personas insignes, ex qua perturbatur respublica; quia judex debet studere ad se- dandam illam discordiam, ne transeat in præ- judicium reipublicæ, cuius pacem et quietem procurare tenetur. Felinus, loc. cit. n. 6, ubi plures tales casus connumerat, Barbosa, ubi supra.

68. *Contractus non redduntur in invitum, quonodo intelligendum?* — Neque urget, quod contractus non reddantur in invitum. Nam

§ III. DE OFFICIO JUDICIS CIRCA CAUSAS PROBABLES, VEL MULTUM, ETC.

hoc procedit dumtaxat regulariter; secus, ubi urget gravis causa, vel jus ipsum aliter disponit; ut in cit. can. *Placuit,* dist. 90. et aliis casibus hactenus enumeratis. Unde in simili compellitur quis ex gravi causa vendere rem suam, ut puta frumentum tempore inopie arg. I. I. § *Cura carnis.* ff. de *Offic.* præ- fert. *Urb.* vel *fundum*, aut *domum.* I. *Si lo- cus,* ff. *Quemadmodum servit. amitt.*

69. *Judicis est providere parti litiganti idoneum advocationem, si quæ talem non habet.* — Quæritur IV. An judicis sit, providere parti non habenti idoneum advocationem, et qualiter? Resp. I. Ad officium judicis, etiam delegati, pertinet providere parti litiganti idoneum ad- vocationem, si quæ hunc ob paupertatem, judicii imbecillitatem, adversarii potentiam, vel aliam impotentiam habere nequit. Ita ex pro- fesso habetur decisum in cap. I. h. t. atque concordat textus in I. § *Ait prætor.* ff. de *Pos- tulando.* Et merito, quia, si a judice non pro- videretur de idoneo advocatione personis illis litigantibus, quæ nec per seipsas causam in judicio proponere valent, nec ob unam vel alteram causam ex allatis, advocationem idoneum invenire possunt; facile eadem in judiciis, dum essent indefensæ, ab adversario potentiori injuste opprimerentur, ac justitia violaretur, L. *Nec quisquam.* § *Observare.* ff. de *Offic.* *proconsul.*; Vivianus in *Rationali ju- ris canon.* cap. I. h. t. Unde, quod in tali casu judex possit compellere advocationem, etiam invitum, ad patrocinandum, recte notat Ab- bas cap. I, n. 5, h. t. (ADNOTATIO XII.)

70. *Talisque advocationes potest esse domesticus, sive familiaris judicis.* — Resp. II. Ejusmodi advocationes a judice datus parti non habenti, potest etiam esse domesticus, sive familiaris judicis, neque ob hoc recusari valet. Patet hoc aperte ex cit. cap. I. h. t. Nam quia cau- sa non est advocationi, sed parlisi; simulque advocationes solum deponit de jure litigantis, ne- que ipsi creditur, nisi in quantum probat de jure hujus, I. *Ab ea parte.* ff. de *Probation.* hinc cessant rationes illæ recusandi advoca- tum domesticum judicis, ob quas judex ipsi parti adverse nimium familiaris posset recu- sari; ut c. *Insinuante,* 23 et c. *Cum R. cano- nicus,* 33, de *Offic.* delegat.

71. *Advocationes ille non tenetur gratis præ- stare officium suum.* — Resp. III. Nihilominus advocationes per judicem parti deputatus non tenetur gratis præstare officium suum sed constituto justo salario per clientulum præ- stando, dummodo hic non sit adeo pauper,

ut salarium dare nequeat. Ita Glossa in cap. I. y. *Implorando.* h. t. et ibi, Abbas n. 5; Lay- man, n. 2. aliisque communiter. Prima pars patet ex can. *Non licet.* 11, q. 3, et l. i. § *fu- honorariis.* ff. de *Variis et extraord. cognit.* ut pro modo litis, seu quantitate causæ, pro quo- que advocationi facundia, et fori consuetudine, ad- vocatis licitum honorarium, seu salarium e- se præstandum perhibetur. Accedit ratio, quia nemo de suo cogitare facere beneficium, can. *Precariæ.* 10, q. 2. *Quis militat suis stipendiis unquam?* ut inquit divus Apostolus I. Cor. ix. 7, cum similibus.

72. *Dummodo clientulus non sit omnino pauper.* — Altera pars probatur ex eo, quia, quando clientulus est omnino pauper, ita ut præ inopia non possit dare salarium, vel non nisi ægerime; tunc (nisi ex publico æario soleat talibus præstari salarium) ex lege cha- ritatis, ac misericordiæ proximo exhibendæ, advocationes a judice deputatus debet ipsi gra- tis patrocinari: tenetur enim hinc obedire judicii imperanti, illinc autem talentum sibi a Deo traditum non abscondere, sed subvenire pauperi illi, veluti proximo summe indi- genti, suumque auxilium imploranti, et cuius periclitanti causæ in promptu aliunde subve- niri non appetat. Prout hoc ipsum de præ- standis aliis misericordiæ operibus erga indi- gentes, quibus aliunde non subvenitur, pas- sim tradunt doctores; atque loquendo de ad- vocatis, tenet divus Thomas 2. 2. q. 71, art. 1; sanctus Joannes a Capistrano, tom. I. *Trac- tatum.* tract. *Speculum conscientiæ,* initula- to; § *Restat ultimum.* n. 44. et seqq. est que communis. Alioquin vero judex posset advo- cato in justere recusanti interdicere patrocinium, arg. I. *Moris est,* ff. de *Pœnis,* et l. *Providen- dum,* C. de *Postulando;* et notat Abbas cit. cap. I, 5 h. t. cum aliis.

73. *Judex potest, ac debet supplere ea, que sunt de jure, et ab advocationis minus bene dicta: non vero illa que sunt de facto.* — Quæritur V. Utrum, si a litigantibus, vel eorum advocationes aliquid minus dictum fuit, illud judex sup- plere possit, ac debeat? Resp. I. Ea que sunt de jure, si fuerint omissa, vel minus dicta a litigantibus, seu eorum advocationes, potest ac debet judex supplere; non item illa, que sunt de facto, nisi tale sit factum, quod ipsi jam est notum ut judicii. Ita Glossa in c. *Bo- nae memoriae,* 3. y. *Curavimus,* de *Postulat.* prælat. Idemque expresse docet Abbas in c. *Raynatius,* n. 44. de *Testament.* ubi sic ait: « Ex prædictis infert ad unum generale,

quod ubicumque aliquod jus ex deductis in judicium competit parti, licet pars ignoret, potest, et debet judex ex officio supplere; quia illud est sibi notum, et notorium ut iudici. » Hæc ille. Idem docet Layman, lib. I, tract. I, cap. v, n. 16, cum aliis.

74. *Idque probatur.* — Prior pars conclusio-
nis clare habetur in l. un. c. « Ut, quæ de-
sunt advocatis partium, judex suppleat, »
ubi dicitur, dubitandum non esse, quod si
quid a litigatoribus, vel advocatis minus fue-
rit dictum, debeat illud judex « suppleat, et
proferre, quod sciat legibus, et juri publico
convenire. » Ubi Glossa varie id exemplificat
et tandem subjungit, id locum non habere in
facto, nisi sit ei notum ut iudici. Et merito :
nam factum deductum in judicium jam seit
judex, ut judex, sicque potest, ac debet sup-
plere, prout legibus, juri publico convenit;
secus dicendum de facto nullatenus de-
ducto in judicium.

75. *Idque probatur.* — Et per hoc etiam pa-
tet ad posteriorem partem conclusionis. Unde
Pontifex in cit. c. *Bonæ memorie*. 3. *de Postu-
lat. prælat.* utrumque prædicatorum obser-
vasse, et practicasse legitur, illis verbis :
« Nos igitur auditis, quæ de facto, et de jure
fuerant allegata, plenius etiam pro utralibet
partium curavimus allegare: suppledio vi-
delicet, ac exactius investigando, quæ in at-
testationibus, vel aliis in judicium deductis de
facto proponebantur, et quæ jus partium fo-
vere videbantur.

76. *Varia prioris partis exempla referuntur.*
— Sic imprimis judex, si seit aliquem publice
excommunicatum, ex officio debet ipsum
repellere ab agendo, etiamsi reus contra
eum non excipiat, c. *Exceptionem*, 12, *de Ex-
ceptionib.* Deinde supplet judex libellum non
recipiendo, si est incompetens, nec potest
convenire causæ, arg. I. I, ff. *de Offic. asse-
ssor.* juncta Glossa §. *Libellis.* etl. 2. § fin. C.
« Ut nemo privatus. » Tertio ex officio sup-
plet judex, ad meliorem veritatis investiga-
tionem inquirendo probationes, et pæsum-
ptiones illas, quæ non extrinsecus, sed ex ipsa
causa oriuntur, et apparent, atque in re ipsa
insunt, quamvis specialiter a parte non alle-
gentur, nec probentur. arg. cap. II, *de Pre-
sumptionib.* ubi sic processisse Salomonem in
causa duarum meretricum, legitur. Zoesius,
h. t. ff, n. 11. Insuper judex supplet de jure
inducendo legem, seu canonem, vel arguen-
do ad causam, aut ducendo ad inconveniens
arg. I. *O fidius.* 95, *de Legat.* III. dummodo hoc

faciat sedendo, non stando, ne advocati offi-
cium assumat. Glossa in cit. c. *Bonæ memo-
rie*. 3. §. *Curavimus, de Postulat. prælat.* et
alia Glossa in d. l. un. §. *Et proferre, C.*
« Ut quæ desunt advocati, » ubi plura de hoc.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate, et Obedientia.

1. *Sicut in cœlesti hierarchia, ita et in ecclæ-
siastica dantur gradus, et ordines ministran-
tium.* — Postquam hactenus tractatum extitit
de ecclesiasticorum ministrorum electione,
ordinatione, atque officiis, merito subjungi-
tur præsens titulus. Clarum quippe est inter
eos non esse honoris et potestatis æqualitatem,
sed quemadmodum in cœlesti hierar-
chia, ipsisque angelicis choris datur quædam
ordinum diversitas, dum alii sunt angeli, alii
archangeli, etc., ita et in ecclæsiastica hierar-
chia, et divinae dispensationis provisione, di-
versos necesse fuit constitui ministrantium
gradus, et ordines : « ut dum reverentiam
minores potioribus exhiberent, et potiores
minoribus dilectionem impenderent, vera
concordia fieret, et ex diversitate contextio
et recta officiorum generetur administratio
singulorum; » prout optimè notarunt S. Gre-
gorius, et S. Bonifacius Papæ, relati can. *Ad
hoc*, dist. 89. Quibus prænotatis,

2. *Majoritas in proposito, quid?* — Quæri-
tur I. Quid sit, et quibus ex causis majoritas
inter clericos attendatur? Resp. I. *Majoritas*
in proposito aliud non est, quam excellentia
unius personæ præ alia; et ex hac excellen-
tia, seu prærogativa illa, qua major præstat
minori, nascitur *Obedientia*, quæ debetur ma-
joribus.

3. *Majoritas inter clericos consideratur ex
quinque causis.* — Resp. II. Majoritas inter
clericos consideratur ex quinque causis, vi-
delicet ex prærogativa ordinis, consecratio-
nis, jurisdictionis, antiquitatis, et ex præro-
gativa ipsius ordinantis. Ita Hostiensis in *Sum-
ma*, h. t. n. 1, quamvis nonnulli secundum
membrum omittant, videlicet consecrationem,
ut Barbosa in *Summario*, h. t. Pirhing eod. n.
1 et seqq. eo quod sub prærogativa ordinis
comprehendi videatur. Vallensis eod. num.
2 et alii.

4. *Nempe ex prærogativa ordinis.* — Sic

imprimis quoad prærogativam ordinis, dia-
conus major est subdiacono, et sacerdos dia-
cono; huicque in Ecclesia præfertur in loco
et portione, etiamsi posterius admittatur, c.
Statuimus, 15, h. t., sicut et episcopus major
est presbytero; quamvis olim idem fuerit
presbyter, qui et episcopus, can. *Olim*, idem.
dist. 95. Et generaliter ratione ordinis, clerici
sunt majores et digniores laicis, can. *Denique*.
dist. 4, etc. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. 10. *de Con-
stitut.* cum similibus.

5. *Et prærogativa consecrationis.* — Huc
accedit prærogativa consecrationis: per hanc
quippe episcopus consecratus major est elec-
to nondum consecrato: unde nequit iste ordi-
nare clericos, nec alia episcopalia munera
peragere, sicut episcopus consecratus, c.
Quanto. 4. *de Consuetud.* Et ob parem ratio-
nen Ecclesia consecrata præstat benedictæ
solum. Vallensis, cit. n. 2.

6. *Ratione jurisdictionis.* — Tertio, ratione
jurisdictionis, sive potestatis, archiepiscopus
est major episcopo; et archidiaconus archi-
presbytero, c. *Ad hæc*. 7. *de Offic. archidia-
con.* Sicut et Abbas monachis, can. *Abbates*.
18, q. 2, et abbatissa monialibus, c. *Dilecta*.
12, h. t. cum similibus. Qua etiam ratione
Romanus Pontifex, veluti successor divi Pe-
tri, Christique in terris vicarius, potestate di-
vinitus accepta, præest omnibus archiepis-
copis, et episcopis, imo et cunctis fidelibus,
atque ipsis quoque imperatoribus quoad spi-
ritualia, c. *Solitæ*. 6. h. t. cum concordan-
tiis.

7. *Ratione antiquitatis.* — Quarto, ratione
antiquitatis, cæteris paribus, habetur prior,
seu major, qui prius fuit ordinatus, cap. I.
h. t. Huc etiam facit, reg. 54, jur. in 6, ibi :
« Qui prior est tempore potior est jure, »
cum similibus.

8. *Et ratione excellentiæ ordinantis.* —
Quinto tandem, quis potior habetur, seu ma-
jor, ratione excellentiæ et prærogativæ ordi-
nantis. Sic ordinatus a Papa, potior habendus
est alii clericis, qui sunt ejusdem ordinis, et
dignitatis, idque ob reverentiam sanctæ Se-
dis apostolicæ, c. *Per tuas*, 7. h. t. et amplius
probat Glossa ibidem. Concordat in simili c.
Si as. Sede. 31. *de Præbend.* in 6. ubi, si non
constet de prioritate beneficii duobus collati,
similque neuter possideat, præfertur ille, cui
Sedes apostolica, vel ejus legatus contulit,
« idque propter conferentis ampliorem præ-
rogativam, » ut loquitur textus. (ADNOTA-
TIO XIII.

9. *Obedientia, ut est virtus specialis, quid?* —
Quæritur II. Quid sit obedientia, et in quibus
generatim consistat, seu attendatur? Resp.
I. *Obedientia*, prout est virtus specialis, est
virtus moralis inclinans ad faciendum quod
jubetur, eo quod jubeatur. Ita Navarrus, cap.
Manual. n. 35, estque in re communi-
nis.

10. *Eius objectum, quod?* — Additur nota-
ter, « Obedientia, prout est virtus specialis. »
Cujus videlicet virtutis speciale objectum est
præceptum superioris, tacitum vel expres-
sum; ut inquit D. Thomas 2. 2. q. 104, art.
2, ita videlicet, ut fiat quod jubetur, eo quod
jubeatur.

11. *Obedientia ut sic dividitur in speciale, et
generale; et hæc declaratur.* — Solet quippe
obedientia ut sic distingui in speciale hic
definitam; et in generale, quæ nihil aliud
est, quam executio cujuscumque actus virtutis
sub præcepto cadentis. Et hæc obedientia
generalis comprehendit sub se omnes reli-
quarum virtutum actus, quibus fit, quod ju-
beatur, (sive faciendo, sive omittendo) non ra-
tione ipsius præcepti, seu non ideo quia ju-
beatur, sed ex intentione atque honestate cui-
libet virtuti propria. Licet enim hujusmodi
generalis obedientia adhuc dicatur obedien-
tia, in tantum quia peragit, quod præceptum
est; nihilominus ob defectum specialis moti-
vi, seu objecti qui formalis, ea non consti-
tuat virtutem specialis obedientiae, sed cen-
setur esse virtus illa, ad quam pertinet actus
virtuosus a Deo præceptus. Sic qui humili-
est, patiens et castus, non idcirco elicit ac-
tum specialis virtutis obedientiae (nisi forsitan
ex sua particuliari intentione elicit tales ac-
tus, etiam ideo quia a Deo sunt præcepti), sed
potius actum humilitatis, actum patientiæ,
castitatis, etc.

12. *Inobedientia etiam duplex, generalis ni-
mirum et specialis.* — Atque obedientiae sic
dupliciter acceptæ duplex opponitur inobe-
dientia: una nimirum generalis, consistens
in quocumque peccato, utpote per quod sem-
per violatur aliquod præceptum superioris;
altera specialis, qua ideo violatur præceptum
superioris, quia præceptum est, vel ideo omit-
titur actus præceptus, quia præceptus est.

13. *Obedientia, ut est virtus specialis, est
major omni virtute morali.* — Cæterum obe-
dientia, prout est virtus specialis, est una ex
virtutibus moralibus, atque reductur ad ob-
servantiam. Et quidem hujusmodi obedientia,
licet sit minor virtutibus theologicis, nihilo-